

quem pariter S. Marci 6.9. testimonio calceorum par Apostolis iter habentibus permisisse intelligimus. Cavit tantummodo, ne plura haberentur, uti satis ab aliis Evangelistis innuitur.

Nec tamen vadem me exhibuerim, nunquam nisi calceatos Hebræos in ædibus suis mansisse; cum nudipedalia in ædibus familiarissimè obtineant in fervidis regionibus, uti in Ægypto, & Judæa. Constat insuper, Sacerdotes in Templo nudis pedibus egisse (e). Mancipia, & captivi non domi tantum, sed foris etiam & in agro nonnulli discalceati agebant [f]. S. Petrus in carcere eodem habitu sese continebat (g). Sponsa in Canticis 3. 3. ne è lectulo surgat, causatur mox factam pedum suorum lotionem. Nihil moror receptam consuetudinem nudatis pedibus accumbendi. J. Christus, ejusque Apostoli morem illum servarunt; neque enim aliter in lectis pro recepta eorum temporum consuetudine recubissent (h). Sed vetustissima consuetudine mos obtinens pedes lavandi iis, qui ex agro venissent, satis probat, illos, semel ac edes subirent, nudipedalia exercuisse (i). Idem pariter usus nudis pedibus quæ in domibus quæ in Urbe agendi, commendatur longâ consuetudine Lacedæmonum, Atheniensium, Romanorum, & Orientalium ferè omnium, quem pluribus laudant veteres Patres nonnulli, uti Clemens Alexandrinus Pædag. 1.2. cap. 11. & Tertullianus de Pallio, uti veterum Christianorum, quantum ex Luciano in Philop. collegisse videmus.

Quænam verò calceamentorum materia? Coriacea, ut autumat Byngus de calceo Hebræorum l. 1. c. 2. quod exemplo calceamentorum Gabaoniticorum (k) probasse sibi videtur, coriacea enim credit. Idem etiam confirmat è frequenti pellium usu apud Veteres; sicut etiam quod viliori pretio calceamenta venderentur (l), in tantum, ut res in proverbium abiret, quod supra jam insinuavimus. Sed ejus argumenta non satis intentum evincunt. Neque enim Gabaonitarum calceamenta coriacea fuisse constat; poterant enim è fructu aliquo panni, vel simili aliquo confecta esse. Ex locis Amos à Bynæo citatis, Gejerus de luctu Hebr. illud sibi probandum censuit, non vilissimos esse calceos, sed potius pretiosissimos; neque hodie usque calcei, licet coriaceis utamur, adeo vilioris sunt pretii, quales Bynæo reputantur. Quamquam enim proverbiali formulâ dicatur, detrito calceo vilius, nunquam tamen usurpatum est illud calceo vilius. Nunquam sanè in Scriptura calceamentorum materia satis exactè exprimitur; in Ægypto papyraceo junco intexebantur; sparteæ familiaria erant Hispanis; lineis usos fuisse Divinos in Syria, & Phoenicia Herodianus testatur (m).

Quare non invitus ego consenserim, Hebræos sandalia & calceos lineos, sparteos, coriaceos, ligneos sive alterius cujuscumque materiæ simul omnes nosse. Equè enim familiaria genti fuisse sandalia ex eo facile intellexim, quod non semel in

Textu mentio recurrat de corrigiis pedum, idest de vittis pedem astringentibus. Militares calcei ferro vel ære armabantur, quod spectat illud Deut. 33. 25. Moysis ad Tribum Aser: Ferrum, & es calceamentum tuum. Æreis ocreis pedes, & crura Goliath protegebantur (n); Græci in obsidione Trojæ areas loricas induerunt; græcæque pariter, sive ex auricalco confectas, ocreas inter Herculis arma recenset Hesiodus (p).

Fœminarum calceamenta ornamentorum pretio virilia superabant. Ezechiel 16. 10. Dominum ceu Sponsum inducens, munera Judæis, tanquam nupte sibi genti, largientem, inter cætera recenset rubra sive purpurea calceamenta; legunt alii calceamenta è pelle melis. Nos tamen veterem lectionem preferendam censemus, ut ibi calceamenta purpurea exprimentur, sive illa coriacea fuerint, sive lana, vel è gossypio, linove. Porrò soleæ purpureæ olim familiariter obtinebant, usdemque pictis purpurâ cothurnis, tanquam summæ dignitatis insignibus, Imperatores utebantur. Viros locupletes Israelis olim ad Templum se contulisse singulis recurrentibus anni Solemnitatibus purpureis soleis nitentes, autumant Rabbinii Venerem describens Phœnicis amictu Virgilius, addit simul.

Purpureoque altè suras vincire cothurno.

Et sandalia Sponsæ in Canticis, quibus oculos Sponsi raperentur, eodem facile colore nitabant. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis? Porrò calceorum genus erat, non compressâ texturâ spissum, neque enim aliqui pedes translucere; sed Phœnicio more contexta sandalia ita raram exhibebant texturam, ut cruris, & pedis nuda mixta purpurâ intenterent. Simili ornamento prodit Judith, ad tentorium Holophernis se conferens; & cum reliquo corporis cultu placeret, sandaliorum tamen elegantia, juxta Scripturæ phrasim, Imperatoris oculos rapuit. Plutarchus Sympos. l. 4. narrat, summum Judæorum Sacerdotem solemnioribus quidem diebus magnificè cothurnatum in Templo sese præbere spectandum; sed Historici quidem falsitatem arguit tum Sacra Scriptura, inter Sacerdotum vestes minimè cothurnos recensens, cum Rabbinii & Patres uno simul assensu nudis pedibus Sacerdotes in Templo ministrasse tradentes.

Tibialium usus Hebræos latuisse creditur, eo potissimum argumento quod ex constanti recepta consuetudine hospitum, pedes lavarentur; cum enim sandaliis laxioris texturæ uterentur, plurimum inter eundem pulveris contrahere pedes necesse erat. Licet etiam observare, statim à detractis sandaliis nudis pedibus Hebræos fuisse. Ita nonnisi detractis sandaliis mensæ assidebant, postremâ Reipublicæ Hebræicæ ætate; ita pariter in Templo (q) versabantur; eodemque habitu utebantur in luctu. Porrò ea passim consuetudo, ut sandaliis unice induerentur, per totum Orientem

c Exod. 30. 19. Rab. Greg. Mas. in Cant. Theodor. in. Exod. 3. 4. 7. aliique passim. f Isa. 20. 2. & 2. Par. 28. 15. g A. 12. 8. h Luc. 7. 31. Jo. 13. 4. 5. i Gen. 18. 4. & 19. 2. & 24. 32. & 43. 23. Judic. 19. 21. & 2. Reg. 11. 8. & c. k Jos. 9. 5. l Amos 2. 8. 6. Eccli. 46. 22. m l. 5. cap. 13.

o 1. Reg. 17. 5. p Herc. Scutum ver. 122. q Misna in Massebet. Berach. c. 0. Maimon in Hala. Beth. Habbechira c. 7.

sem obtinebat. Idem mos & in foeminis spectatus; quæ enim pro viris adducta sunt argumenta, eadem & pro foeminis valent; quibus etiam aliud adjungitur peculiare, quod scilicet pretiosis monilibus,

sive annulis tibus ornarent, quemadmodum supra ex Isa. 3. 16., & de nudis pedum Sponsæ per transversam sandaliorum lorica spectatis à Sponso Cantic. 7. 1. supra pariter observavimus.

IN LAMENTATIONES JEREMIÆ PROLEGOMENON.

Solemne erat Hebræis, ut in funere amplissimorum virorum, Principum, & Heroum, quorum clarissimum erat in rebus bellicis nomen, funebres cantilenas pangerent; cujus generis quadam in Scriptura adhuc leguntur, ut Canticum in funere Abner (a), alterum in funere Jonathæ [b]. Quin & collectio funebrium cantilenarum adornata apparet ex illo 2. Par. 35. 25. Ecce scriptum fertur in Lamentationibus. Neque hæc tantum ad luctum agendum in funere amplissimorum virorum, quin & retrico hoc carminum genere luxisse casum & vices Urbium, gentium, & Principum etiam externorum Prophetæ videntur. Ita funebri, Canticum illudgen Isaias (c), Jeremias (d), & Ezechiel (e) desolationem Ægypti Tyri, Sidonis, Babylonis, & c. Rard etiam contingit, ut everisionem magnæ alicujus gentis prænuent, quin simul funebri aliquo Canticum luctum agant, eodem pariter tempore & ventura mala prænuentiantes, & tanquam jam impleta lugentes.

Porrò Jeremiæ Lamentationes stetus sunt viri sanctissimi, quo vices Jerosolymæ profequitur. Cùm verò multiplici malorum casu Urbem illam jactari Jeremiæ ætate contigerit, quo tempore, & quâ potissimum occasione Lamentationes scriptæ sint, ambigimus. Sunt qui cum Josiæ obitu componant, cùm scilicet Rex Ægypti arma in Judæam inferens, pii Regis Josiæ exercitum dissipavit, Regem ipsum occidit, ac deinde ab expeditione Carchemisæ, redux, Jerosolymâ occupatâ, tum & Judæâ universâ subactâ, vincitum & Joachaz secum in Ægyptum adduxit (f). Omnia hæc simul mala, inquit, scriptis hisce Lamentationibus luget Jeremias. Potissimum hujus opinionis suæ coesuram ducunt ejus assertores ex illo 2. Par. 35. 25. Universus Juda & Jerusalem luxerunt Josiæ. Jeremias maxime, cujus omnes Cantores atque Cantatrices usque in presentem diem lamentationes super Josiæ replicant, & quasi lex obtinuit in Israel. Addunt his omnibus argumentum ex ipsis deductum Lamentationibus, in quibus elogium textitur Regis, nulli alteri magis, quam Josiæ quadrans. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua videmus in gentibus. (†) Malunt alii (*), Prophetæ luctum versari

in captivitate populi, ac vicibus tum Sedecia, cùm sui ipsius; cujus opinionis suæ argumenta ex omnibus Lamentationum Capitibus deducere se posse confidunt. Quin & Lucubrationis hujus Præfatio, vetustissima illa sanè, id asserit luculenter. Nec magis obscure eadem insinuat Eccli. 49. 8. narrans, vias omnes Jerosolymam deducentes desertas hostes reddidisse, juxta Prophetæ Jeremiæ oraculum; quibus verbis spectatur illud Thren. 1. 4. Via Sion lugent, eò quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Nihil sanè frequentius in eodem scripto, quàm mentio de Jerusalem, Templo, rebus everis, destructis, prophantibus, desolatis. Duo priora capita incommoda omnia obsidionis Urbis relevant; tertio deinde proxime succedenti persecutiones suas luget Prophetæ; quartum deplorat casum & desolationem Urbis & Templi, Sedecia item vices. Tandem quinto Operis capite precandi formulam digerit Vates pro Judæis in dispersione, & captivitate agentibus; versoque deinde stilo, crudelitatem Idumæorum desolationem Urbis urgentium insecatur, simul illos ultionis Domini flagellum manere prænuentiantes. Porrò hæc omnia aliò planè quàm ad exitum Josiæ spectant, quo tempore Urbs pariter & Templum stabant, sui erant in regione incolæ, nec adhuc ea acciderant captivitatis mala, quæ à Prophetæ deplorantur. Hæc nos in posteriorem hanc sententiam inclinant; an commodè ad difficultates diluendas, viderint Lectores.

Scriptum est ergo Canticum post urbis Jerosolymæ everisionem; quin & postremum caput seriùs cæteris adjectum fuisse ex eo intelligimus, quod deductum jam in captivitate populum, partimque in Ægyptum translatum (g), Templum in vulpium foveam redactum [*], constituit. Monstratur hodie usque in vicinis Jerusalem fovea, ubi scripta à Jeremia vaticinia sua ferunt, quo eodem in loco magnificum erexisse Templum Constantinum Imperatorem fama est. Sed hisce popularibus traditionibus quis credat? Porrò Jeremias post captam Urbem in potestatem hostium unâ cum captivis ceteris venit, nec nisi in Rama liberè abire permittus est, cùm Nabuzardan directam & incendio desolatam Jerosolymam reliquit. A capta Urbe usque ad concessam viro sancto libertatem, intercessit 35. dierum

a 2. Reg. 3. 33. 34. b 2. Reg. 1. 18. 19. c Isai. 14. 4. & c. & 15. & 16. d Jerem. 7. 29. & 9. 10. & 48. 32. e Ezechiel. 19. 1. & 28. 11. & 26. 17. & 32. 2. f Hieron. in. Zach. 12. 11. Super quo (Josia) Lamentationes scripsit Jeremias, quæ leguntur in Ecclesia, & scripsisse eum Paralipome. non testatur Liber. Ita Chald. Interp. & Raban. & Maldon. & Figier. Thom. Bonavent. Hugo. Vat. Jun. Vide Joseph Antiq. l. 10. c. 6. † Thren. 4. 20. * Hieron. in Jerem. Præf. Civitatis suæ ruinas quadruplici planxit alphabeto. Ita Theodoret. Procop. Olympiodor. alii ferè omnes.

g Thren. 5. 4. & c. * Ibid. ver. 18.

circiter intervallum; quo temporis spatio commodum erat Jeremiae lugubres istas cantilenas in solatium sociorum suorum captivorum scribere.

Inscribitur Opus a Graecis Threni, i. e. Lamentationes, a Judaeis Echa, quod prima in Textu vox illa occurrat; vel Kinnoth, fletus, lamentationes. Stilo utitur Author vivo, molli, pathetico, qualem carminum hujusce genus exposcit. Elegantissimum, est quantum aliud unquam in tota antiquitate carmen, & movendis lacrymis aptissimum, quo scribendi genere excellerat Jeremias. Nec sane aliud unquam fuit vel argumentum lacrymis dignius, seu Vates fletibus aptior.

Quatuor priora capita acrostycho artificio digeruntur, quo scilicet vel singuli quique, vel bini recurrentes versus, ex una elementi Hebraici litera alphabeti ordine exordiantur. Tertii capituli tres succedentes versus ex eadem litera ducuntur; sunt autem omnes simul 66. versus. Tandem quarto capite idem ordo, ac in primis duobus restituitur. Nihil singulare spectatur in quinto Operis capite; sed in vetustis quibusdam Mss. Latinis singuli recurrentes 22. versus, praefixam habent Graeci elementi literam (h). Acrostycho eodem cum ceteris ordine digestum esse potremum hoc caput insinuare videtur S. Hieronymus (i); sed nihil plane simile in Hebraeo spectatur. Porro illud est in serie literarum elementarium notandum, quod in capitibus secundo, tertio, & quarto litera Phe pra-

ponitur litera Ain; cum vicissim in priori capite posterior haec illam praecedat; cujus rei causam quis norit? Amanuenses errorem hunc (errorem enim credebant) reparaturi, utque suum restituerent alphabeti ordinem literis, non semel Textum everterunt turbaruntque (k), invita licet & repugnante contextus & orationis serie. His tamen nequidquam obstantibus, an Jeremias hunc eundem ordinem, quem modò tenent, literis assignaverit, manet incertum. Facile ex ipso scripti, Operis tempore varietas ista repetenda est.

De Praefatione Lamentationibus praefixa egimus in Commentario; Nusquam sane illa sive in Hebraeo, sive in Chaldaeo, vel Syriaco legitur. Praeter Graecam versionem a Septuaginta adornatam, fragmenta Versionis Symmachi super sunt; rara verò aliorum Interpretum; quod scilicet Origenes Versiones Aquila & Theodotionis in Hexaplis servare neglexerit; an forte quod parum a Septuaginta variant? Inde verò deducendum sibi aliqui arbitrati sunt, nec Aquilam, nec Theodotionem vertendis Lamentationibus operam suam contulisse. Sed contrarium egregie demonstrat P. Montfaucon in Praefatione Hexaplorum.

Judeorum quidam contendunt, Lamentationes ipsissimum esse Opus, quod dicente Jeremia Baruch (l) scripto excipiebatur, cultro deinde scissum & igni injectum a Rege Joachimo (m). Sed nulla est hujus opinionis veritas, & conjectura.

k Vido notas D. Joann. Martianay in cap. 2. Bibliot. S. Hieron. p. 643.

l Jerem. 36. 4. m Ibid. ver. 22. 23.

h Vido nov. Edit. S. Hieron. 1. 1. i Hieron. Praefat. in Lib. Reg. Jeremia Lamentationes & oratio ejus ejusdem numeri textum alphabeto. Sed & in multis locis non loquitur nisi de quatuor alphabetis Lamentationum, e. g. in Praefatione ad Paulinum. Quadruplex diversis modis necesse alphabetum. Vide ad Paulam Urbicam.

a Joseph. Antiq. 1. 10. c. 11.

b Jerem. 51. 61. Princeps Menebuch.

c Jerem. 36. 1. 2. &c. 22. 23. &c. d Ibid. ver. 27. &c.

IN BARUCH PROLEGOMENON.

CLaro ortus genere Baruch, linguae Hebraicae scientia excellent (a). Patre genitus est Neria, & avo Maseia, viro utroque in regione sua amplissimo; nec minus illustris fuit dignitate fratris Saraia, qui sub Sedecia inter viros Principes suum habebat locum (b). Porro Baruch a secretis Jeremiae ad obitum ipsius comes. Sub Joachimi Regno omnia illius viri sancti vaticinia scriptis redegit, & cum in Templum secum tulisset ejus Operis volumen, coram frequenti Magnatum & populi concione expandit legitque. Cum autem post hac volumen coram Rege Joachim delatum legeretur, offensus Princeps gladio discissum in ignem conjecit (c). Absumptum iterum reparaturus Jeremias, novum ex integro, sed fufius, Amanuensi suo Baruch dictavit (d); dictavit autem quale nunc etiam superest.

Quae erat Baruchum inter & Jeremiam

rerum affinitas, graves in Prophetam nostrum persecutiones induxit; nihil enim Jeremiae malorum perferendum fuit, quod item in Baruchum non redundaret. Quare, ita Deo permittente, Baruch, cum forte die quadam animis despondens suam, itemque Patrie sortem lugeret (e), confirmandus fuit a Deo verbis Prophetae, & ita confirmandus, ut nihil ultra deinceps moveretur.

Quarto Sedeciae anno, Babylonem unam cum Saraia fratre suo (g) missus est, postulatam a Rege Nabuchodonosore, ut vasa sacra Babylonem ab ipso asportata, quo tempore Urbem simul & Regem Jechoniam coeperat, remittere dignaretur (g). Attulit unam pariter Propheta Epistolam Jeremiae (h) ad Judaeos in captivitate agentes, quo ille scripto & imminencia omnia in Babylonem mala exposuit, & libertatis spem miseris fecit. Justerat autem Propheta lectam captivis Epistolam propositam in Euphratem (i), qua de re nihil a Baruch omisissum. Ad ejus epistolae lectio-

e Jerem. 45. 2. 3.

f Jerem. 51. 59.

g Baruch 2. &c. h Continetur Jeremia cap. 50. & 51.

i Jerem. 51. 63.

k Baruch 1. 3. nem Jechonias ceterique cum illo captivi (k) alitè ingemuerunt, ac collatitiam pecuniae summam Baruchi manibus commissam, in usum sacrificiorum Domini Jerosolymam transmississent.

Data insuper est a captivis prolixior ad fratres Jerosolymae agentes epistola, in quinque prioribus Baruchi capitibus relata (l). Porro scriptum illud ab eodem Baruch digestum ne dubitamus quidem; si cut & asserendum eadem fide censemus, divino illum Spiritu affatus, quos in captivis Babyloniae animadverterat. In ipso Epistolae capite precibus fratrum Jerosolymae commendat Nabuchodonosorem ejusque familiam, quibus jussum tenentibus imperium, pacate ditionis dulcem quietem captare se posse confidebant. Precum autem exigendarum in causa fuisse potere, quae ab eo Principe receperant Judaei beneficia, quippe qui vasa sacra libens remiserat. Rogant autem fratres captivi, ut sua illa epistola legatur in frequenti concione, cum scilicet populus diei festi sollemnia in Templo celebraret. Nec diffidentur crimina sua, quorum merito iustam hanc Domini ultionem in suum caput commissis; tum & minas Prophetarum, quas olim contempserant, revocant in memoriam (n). Haec in priori Epistola partem Secunda partis exordium instituit a capite 3. 9. ductum a singularibus Hebraeorum supra ceteras omnes gentes privilegiis; quod scilicet Legem Domini, genitiam sapientiam, & veram felicitatis fontem ac viam soli noscent [o]. Monentur igitur Judaei, ut respiciant tandem, atque criminibus abiectionis dignos se praebeant, qui promissa libertatis facta sibi spe tandem potiantur. Porro haec de futura tandem libertate promissa totum literae epistolae occupat; variis enim aptissimis phrasibus eandem rem iterum atque iterum Author inculcat. Innuimus jam, hujus epistolae Authorem credi Baruchum, qui nunquam in ea non Prophetam agit, oracula ubique oggerens de captivitate solvenda, & restituenda Urbe, enigmatica simul phrasibus, sed non obscura sane, Christi Regnum & Ecclesiae constitutionem exprimens (p).

l A cap. 1. 15. usque ad cap. 2. 12. n A cap. 2. 12. usque ad 6. 3. 9.

o A cap. 3. 9. usque ad 4. 2.

p Lege finem capitis 4. & cap. 5. totum. q Antiqu. 1. 10. c. 11. * Jerem. 43. 2. &c. q Hieron. Praefat. in expositione Jerem. Libellum Baruch, qui vulgo Editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebraeos, & Pseudographam Epistolam Jeremia nequaquam sensus asserendam. Idem Praefat. in versione Jerem. Librum autem

bo Prophetae censuerunt. Mansit Baruch in Aegypto ad obitum usque Jeremiae; quo satis functo, recepit se Babylonem. Sunt qui contendunt, epistolam Jeremiae, postremo hujus Libri capite recitatum, ab eodem Baruch delatam fuisse; sed Graeci textus autoritate in eam sententiam adducimur, commissam illam captivis mox Babylonem transferendis, antequam ambo Prophetae in Aegyptum proficiscerentur.

Quo potissimum loco obierit Baruch, ambigitur: Babylone anno captivitatis 12. contendunt Rabbini; alii in Aegypto malunt. Emortualem ejus diem ad 28. Septembris, nullo, quantum scimus, fundamento, Martyrologia consignant. Sed quantum de obitus die in dubio versamur, tantum & magis etiam constat, viri memoriam, apud Ecclesiam Judaicam, & apud Christianam in benedictione esse.

Exemplar hujus operis Hebraicum intercidit, cujus locum tenet Versio Graeca vetustissima, ex Hebraeo sine controversia adornata, ut ex frequentibus Hebraicis intelligimus. Judaei, quibus sanctum est Libros omnes non Hebraice scriptos e Canone Scripturarum expungere, opus Baruch excludunt. Gravius aliquanto in illud locutus S. Hieronymus, suspensionem facit, num Operis auctoritatem satis agnovisset (q). Nihil de illo apertius in vetustis Catalogis Sacrarum Scripturarum apud Patres & Concilia. Excidit e numero Sacrorum Librorum apud Protestantem, sicut & Catholicos nonnullos (*). Ad epistolam Jeremiae in sexto Baruchi capite quod attinet, veluti spuria notari a S. Hieronymo videtur; omisit Theodoretus in suo Commentario, ac tandem in variis Graecis Exemplaribus desideratur.

Sed ad illam vicissim adludat non obscuro Author secundi Macchabaeorum (r); & statim post Lamentationes Jeremiae exhibent plura Exemplaria, cum interim in aliis eundem teneat ac in nostris Bibliis locum. Nihil sane aetati, moribus Jeremiae, ac tandem reliquis temporum circumstantiis absonum. Idem & de reliquo opere censendum est, cujus si forte apertior in sacris Catalogis mentio desideretur, ejus rei in causa fuisse oportet, quod sub uno eodemque Jeremiae nomine utrumque opus comprehenderetur. Nec facile satis luculenter inter haec duo distinctum fuisset in Concillis Florentino (s) & Tridentino sess. 4. nisi silentium illud ad praevas quaedam consecutiones deduci possent ab Haereticis Patres animadverissent. Sub expresso Baruchi nomine Opus non semel Patres laudarunt (t), frequentius tamen sub Jeremiae; & hodie usque in Ecclesia aliquid legitur Baruchi sub Jeremiae nomine (u).

Nomine Baruchi inscripta prolixa satis epistola apud Syros extat; in qua ita de Angelis sermo, ut Christianum Authorem prodatur. Monachum quendam Syrum suspicatur D. Huetius olim Episcopus Abrincensis. Alia est prolixa epistola, ac ea quae recitatur in Graeco & Latino nostrorum Bibliorum.

Baruch Notarii ejus, qui apud Hebraeos nec habetur, nec legitur, pretermisimus. * Driedo lib. 1. de script. & degm. Eccles. cap. ult. Lyran. Dionys. Carth. 1. 2. Macchab. 2. 2. Inveniuntur in descriptionibus Jeremiae Prophetarum: Et dedit illis legem, ne obliviscerentur praecipia Domini, & non exerrarent mentibus, videntes simul lacra aurea & argenta &c. s In Decreto de Script. Sacr. 1. 2. contra haeres. Cyprian. 1. 2. contra Judaeos & Serm. de orat. Dominica. Clemens Alex. 1. 1. Padag. c. 10. & 1. 2. c. 3. Eus. l. 6. Demonstr. c. 19. & 1. 10. c. 3. Ambr. 1. 1. de Fide c. 2. Idem in Ps. 118. serm. 18. Jul. Firmic. ad finem Aug. 1. 18. de Civit. c. 23. Chrysol. serm. de Trinit. & demonstr. ad vers. Gentil. quod Christus sit modò. Basil. 1. 4. ad ver. Eunom. Epiph. haeres. 3. ad vers. Ebioncos. Hildesfons. 1. de Virgine Maria c. 6. Vide Maldon. in hunc Librum, & Bellarm. 1. c. 8. de Verbo Dei. u In Officio Sabbathi Pentecostes Proph. 64.